ANT. VERANCII
ARCHIEPISCOPI
STRIGONIEN.

Oratio,

Qua nomine omnium ordinum, ac Statuum Regni Hungarici Rudolphum Archid. Auſtriæ venientem Poſ. ad ineundam coronationem excœpit.

Anno Domini M D LXXII.
Die verò Sept. XXI.



VENETIIS

Apud Franciſcum Rampazetum.

M D LXXII.

AD REVERENDISSIMVM EPISCOPVM AGRIONEN. D. D. STEPHANVM RVDETIVM

CAESAR. MAIEST. CONSILIARIVM, Præfectum Cameræ Hungariæ. &c.

MARINVS FRACASSVS.

PActoli, atquè Hermi, mallem tibi munera ferri,
Auriferique amnis aùrea dona Tagi:
Aùt in Heritrea quòd ſemper naſcitur vnda,
Aut quæ Pheaces, Eſperidesque dabant:
Cùm dederim ſenſus, animam cum corpore: tandem,
Plus ego non poſſum contribuiſſe tibi.
Accipito ergo mei præcordia pectoris, & me,
Quem tibi mancipium tempus in omne dico.

ANT. VERANCII
ARCHIEPISCOPI
STRIGONIEN.
ORATIO,

QVA NOMINE OMNIVM ORDINVM ac Statuum Regni Hungarici Rudolphum Archid. Auſtriæ venientem Poſ. ad ineundam coronationem excepit.

Anno Domini M D L X X I I.
Die verò Sept. X X I.

SI VNQVAM aliàs nos Hungari per hæc noſtra afflictiſsima, & multiplicibus ærumnis preſſa tempora, quibus totus quoq; Orbis grauiſsimè concutitur, magnam aliquam in rebus noſtris lætitiam habuimus, eam, Sereniſsime, atque Ampliſsime Princeps, hoc præſenti ſanè habemus, cui parem diu iam nec ſenſimus, nec experti ſumus: eaq́; multo etiã nobis venit amplior, & cumulatior, quæ olim maiores noſtros habuerat, quum hoc ipſum inclytum Regnum Hungariæ ſumma eorum virtute, ac fortitudine bellica ſibi, & nobis, Deo comite, fortunaq́; fauente, comparabant.

Audientes enim morum, ac virtutum tuarum verè Regalium, & quæ ſemper in proſapia tua fœliciſsime floruerunt, ampliſsima præconia, laudesq́; ra-

riſsimas, eo deſiderio, atque ea etiam voluntate incenſi ſumus, vt te omnino in Regem noſtrum haberemus. Sperantes, quòd, poſt Deum Opt.Max. ac genitorem tuum, omnibus numeris abſolutiſsimum Principem, neminem alium aptiorem nobis Dominum eſſemus habituri, quàm quem huic fama publica commendaret. Inde tot Ducum, Archiducum, Regum, Imperatorumq́; generis tui ſanctiſsimi Nobilitas, Magnitudo, Diſciplinaq́; & imagines, ac viua nomina ad rectè, ritè, iuſteq́; regnandum inſtruerent, & adhortarentur.

Idq́; voluntatis, ac ſtudij noſtri ardentiſsimi contendentes ad effectum ipſum perducere, quo ſuperſtite adhuc Sacratiſsimo Imperatore Patre tuo Diuina ſanè & prudentia, & prouidentia prædito, ac vt Cæſarea, & Regia dignitate omnium, qui nunc in Orbe Chriſtiano rerum potiuntur, maximo, ita & ſummis ſanè virtutibus, atque animi dotibus, quibus eſt vberrimè ornatus, nulli ſecundo, talem nobis aſciſceremus Regem, qui & Paterna, & auita, totq́; aliorum maiorum ſuorum in regendis populis peritia inſtructus, nobis de Status noſtri diuturniore firmitudine ſecuritatem faceret, Vltro curauimus, vt te nobis Sacra ſua Cæſ. ac. Regia Maieſtas reuocaret ex Hiſpanijs: Reuocatumq́;, ac reductum, vbi primum aſpeximus, & te nobis alloqui licuit, eaq́; omnia, quæ de te tanto omnium conſenſu prædicata fuerant, agnouimus, in Regem etiam nobis dari

Comitijs

Comitijs proximis,omnium Ordinum,ac Statuum noſtrorum ſuffragijs, nemine prorſus noſtrum ſecus ſentiente, poſtulauimus.

Qua poſtulatione noſtra non fruſtrati, poſtquàm vidimus, te nobis à Cæſarea, ac Regia Maieſtate ſua tam clementer eſſe conceſſum, vt quæ ſemper, magnis etiam interdum alijs curis ſuis ſepoſitis, ſedulò ſtuduit gratias ſuas in nos vberrime, ac benigniſsimè effundere, & ſaluti noſtræ mirabili quadam, & pluſquàm paterna ſollicitudine proſpicere, dici non poteſt, quanta nos lætitia habuerit, quantam ſpem quoque concœperimus, te demum aliquando (ſic rebus noſtris dudum attenuatis, & prope acciſis) eum ipſum Rudolphum Auſtrium Hungariæ noſtræ futurum aſſertorem, qui primus Auguſtale faſtigium in proſapiam tuam induxit. Debellatiſque & ſuis, & Imperij hoſtibus, res quoque Germaniæ, per quam inteſtini tumultus Imperiali Maieſtate or batam latiſsime graſſabantur, pacauit, vniuit, & Imperialem decorem per eam impoſterum ſtudioſiſsime colendum, obſeruandumque docuit, atque effecit.

Quapropter ijdem nos omnes Hungari, Prælati nimirum ac Barones totaq; Nobilitas, & cæteri vniuerſi Ordines, ac Status Regni ſperantes, te nobis Regem, vt iuſtum, & clementem, ita & fortem, & libertatum noſtrarum amatorem,conſeruatoremq; futurum, quot, quot ad hanc fœliciſsimæ corona-

tionis

tionis tuæ celebritatem, ex hoc deſolatiſsimo Regno ſumma interim confiniorum cuſtodiæ cura, ac ratione habita, conuenire potuimus, conuenimus, & hic (vt cernis) Auguſtiſsimo conſpectui tuo exhibentes nos, Te proni, ac venerabundi, ſingulariq;, & eo quidem certe omni cum affectu, qui fideles ſubditos decet, excipimus, & ſalutamus. Tibique hodierna die Regnum hoc Hungariæ noſtræ, quod iam cœlitus habes, liberis, ac ſpontaneis ſuffragijs, pro vetere libertate noſtra, ipſo Diuino numine conſulto, atque inuocato, & Cæſarea, ac Regia Maieſtate, Patre tuo ampliſsimo, annuente, vt decreuimus, ita & tradimus, & Ius, ac regimen noſtri, lege, moreq; maiorum noſtrorum deferimus. Quod vt & tu Rudolphe Sereniſsime fœliciter ineas, diutiſsimè obeas, ſitq; tibi, & ex te propagandis diuturnum, firmum, ac ſtabile: & nos induſtria, virtute, ac prouidentia tua a Turcito iugo iam tandem aliquando vindicemur, & in priſtinum rerum noſtrarum, ac fortunæ noſtræ ſtatum reſtituamur, Deum altiſsimum, Omnipotentemq; obſecramus. Te vero vno ore omnes petimus. Sume hãc in te noſtrã, & voluntatem, & deuotionem ea animi tui magnitudine, quã es vel in iſta prima iuuẽtute tua, ſumma cum opinione, & amplitudine pulcherrimæ laudis aſſequutus. Inq; iam hoc Regnum tuum Hungariæ deſideratus ſuccede, & ſacram eius Coronam tibi tanto omnium noſtrum conſenſu, Patris verò

tui

tui & in te, & in nos pientiſsimi voluntate conceſ-
ſam, recipe, atque ea quàm maxime longæuus, ac
fœlix fruere.

Leges poſtremo, & iura, & libertates noſtras iuxta ve-
terum Diuorum Regum noſtrorum inſtituta, ora-
mus te, oramus, complectaris, ſerues, tueare, &
verbo tuo Regio nobis robores, atque confirmes.
Religionem quoque Catholicam cures nobis ſuble
uandam, iuuandam, conſeruandam. Nobiſcum
item in Hungaria, ſic iam certè tua, vt magni Pa-
tris tui, in qua te ſibi conſortem cooptare pientiſsi-
me voluit, maneas, ac reſideas. Eamq; & tibi, &
nobis ſic ornes, ſic regas, ſic promoueas, vt peregri-
nis nos non ſubijcias, vt noſtris, ac noſtræ gentis mi
niſterijs, quum in domeſticis tuis, tum etiam in ci-
uilibus, ac militaribus rebus ſumma cum laude tua,
& ſatisfactione noſtra vſus, merito tu & ſis, & dica-
ris Rex Hungariæ. Nos vero in ſpe, quam de iſta
tua ſpectatiſsima indole, ac de præſtantiſsimis tuis
virtutibus concœpimus, confirmemur. E tot quo-
que anguſtijs, quibus diu iam obſeſsi detinemur,
reſurgamus. Regumq; noſtrorum veterum, quos
fortes, bonos, iuſtosq; habuimus, memoria, ac de-
ſiderio poſthac non ſollicitemur. D I X I.